

$$)(2^r$$

)(2^v

tur namque ferè, qui bonarum
artium studijs imbuti humani=
tatem colunt, cum ad epistolas
Ciceronis recurrent, tantum fe
ibi eximia cum sapientia coniun
ctæ prudentiæ copiam inueni=br/>re, quantam vñquam humana
assequi industria posse videa=
tur. Nec vero sententiæ huius
nullæ sunt rationes, si quidem in
iftis codicillis (vt res amplissi=
mas arctissime constringam)
primum continentur dubia=
rum aliquot de rebus grauissi=
mis quæstionum adeo felices &
rotundæ decisiones, ijs vt lectis
generofa mens non possit non
mirifice affici, quando non tan=
tum maximis de negocijs recte
eruditur, sed insuper velut A=
riadnes filo instruitur, cuius po=
stea

)(3^r

Ita ductu similiter de quibuslibet quantumuis perplexarum disputationum facile se expedit labyrinthis. Deinde plerarumque, quibus cum folet humanus conflictari animus, ægrediturinum remedia ibidem plurima simul & præstantissima fideliſime monstrantur. Siue enim luctus ab aduersa fortuna, siue mali futuri metus, siue indignatio ob offendam, siue ex emulatione ortum odium, siue alius quicunque affectus cordi vultus inflixerit, reperias hic singulis accommodata morbis efficaciter sanandis medicamenta omnium, quæ philosophia saltem exhibere potest, præsentissima. Denique habet earundem literarum aſsidua tractatio plurimum

(3

mum

)(3^v

mum momenti ad honestatis,
virtutisque quam Graeci καλοκα-
γαθιαν nominant, studium in ani-
mis confirmandum, sicut expe-
riuntur, quicunque eam in rem
ferio incumbunt. Itaque non im-
merito summis quibusque viris
tanto amore dignae iudicamur,
nunquam ut in manibus deponi
debeant, verum haec utilitas ad
aetatis projectae, nec humanarum
rerum ignoros homines potissi-
mum pertinere videtur. Pueris
autem & adolescentibus vel hoc
nomine multum in his scriptis
operae, temporis ponendum
erit, ut facultatem sibi compa-
rent expeditam nulla, aut quam
minima reprehensione & erro-
re scribendi epistolas. Nam esse
literarum quoque suum quod=

dam

$$)(4^r$$

dam artificium, ex earum liquet definitione, qua cum familiaribus colloquijs amicorum, in primis doctorum, bonorumque, quorum vestigijs iuuentutem insisteret decet, conferuntur. Cum enim hi sermonis cultaram, etiam quando priuatim inter se conferunt, non penitus omnem negligant, sed maxime pere huc spectant, ut quemadmodum in rationibus ipsis & getibus, ita etiam in verbis per omnia pro rerum, quas tractant, dignitate, quoad eius fieri potest, decorum feruent & tueantur: quis neget aequalem vel potius maiorē in epistolis quoque diligentiam requiri?

Eti autem, quæ apud Rh) (4 tores

)(4^v

tores de Orationibus compo=
nendis traduntur præcepta,
præfertim generalia, interdum
etiam ad epistolas non incon=
cinne applicantur, tamen quod
utriusque generis sui sunt limi=
tes, quos transfilire nequaquam
liceat, ut discrimen teneatur, e=
quidem haud dubito, quin de fo=
lo id Cicerone accurata atten=
tione perspici, & prudente adhi=
bita imitatione obseruari opti=
me poscit, idque eo magis, quo
maior in epistolis deprehendi=
tur libertas, quæ formis & legi=
bus certis altringi uix queat.
Porro Ciceronem unum es=
se, qui cum in hac tum alijs etiã
eloquentiæ partibus principem
obtineat locum, nemo inficias
puto

) (5^r

puto ibit. Quare iure insignem
profecto laudem merentur, qui
in hoc max. autore illuſtrando
plurimū elaborant, fed melius
ſibi proſpiciunt, qui ab alijs hac
ratione adiuti, tāti oratoris cum
ſapientiam tum eloquendi uim
in fuum transferre uſum legitime
ſtudent, id quod omnes bo-
narum literarum ſtudioſos in-
deſeffo labore facere par eſt.
Cum autem nuper, cum in
ſalinis faxonicis eſſem, cariſſ.
Melchior, intellexerim, quanto
ſtudio ibi ſit & hoc agat clarifiſſi-
mus vir, pater tuus, vt animus
tuus etatim a teneris annis non
tantum Christianæ religionis,
fed etiam optimarū artium cog-
nitione imbuatur, viſum eſt pri-
(5) mum

)(5 mum

)(5^v

mum librum epistolarum familiarium Ciceronis, quem Germanice pro mea virili reddidi, sub tui nominis auspicio in publicum diuulgare, volui enim huius libelli æditione te premium adhortari, ut in eo non sis tardus, in quo omnis vis omnium studiorum tuorum vertitur, vt scilicet fidelissimis monitis tui præceptoris obtemperes, quo autore studia instituere, formare, & corrigere pos sis, me mor optimæ sententiæ Ciceronianæ, Nullam artem literis fine interprete, & sine aliqua exercitatione percipi posse, omnesq; artes doctorem ac lumen desiderare. Sis igitur macte virtute h. e. perge institutum augere, literis optimis, quibus initiatus

)(6^r

tus es, animum excole, vt inter
reliquas bestias vel homo esse
agnoscari, & ne te, tuosque ho=
neftissimos parentes sumptu=
um factorum pœniteat, prouide=
deto, neque fallas patrie, patris,
amicorumque tuorum expecta=
tionem, quam concitaſti, cum te
olim vel in adminiftranda Re=
pub. vel in docenda religione,
aut dicendo iure ſibi profutu=
rū esse confidant. Proinde quod
optimus & pœfiantissimus pa=
ter filio pœceperat, quem Athe=
nas ad perdiſcendam philoſo=
phiam miſerat, idem tibi quoq;
dictum putato, Memineris, ne
dedecores & vrbis authorita=
tem & magistrorum.
Deinde volui etiam huius
libelli

)(6^v

libelli quantumuis exigui diuul
gatione singularis meæ & con=
stantis benevolentiaæ, quæ rara
hoc tempore inter amicos repe=
ritur significationem erga pa=
trem tuum, clariss. virum edere.
Volui tandem tibi veluti digito
monstrare, qua nam ratione tan
ti oratoris scripta, qualis fuit Ci=br/>cero, in nostram linguam recte
conuerti posſint. Quod exerci=br/>tium etsi à multis paruifiat, aut
plane contemnatur, tamen hanc
habet vtilitatem, vt, puer inter
vertendum primum penitus
cogatur confiderare autoris fen=br/>tentiam, Deinde selectissima
verba germanica, quibus pro=br/>prie singulas periodos expri=br/>mat, eligere. Non dicam, quem
fructum ex hoc exercitio perci=br/>pere

(7^r)

pere queat puer, cum aliquando
in aulis magnorum regum &
principum latinas epistolas, quae
transmittuntur ab alijs, subito
sciat quam maxime proprijs &
idem significantibus verbis redi-
dere vernaculo sermone, in quo
studio multi frigent, pauci sunt
felices. Hortor igitur te pro ami-
citia veteri, quae mihi cum tuo
clarissimo parentefuit, ut hunc
meum laborem non modo boni
consulas, sed diligenter in usum
conuertas tuum. His uale in
Christo qui tua studia guber-
net, parentesque tuos diu inco-
lumes conferuet.
Datæ ex præpositura Lyfœ-
na Anno salutis M. D. LXIX.
die II. Augufti, quo ante annos
XLII.

)(7^v

XLII. Inuictissimus Imperator Romanus Maximilianus II. natus est Viennæ mane intra primam & secundam horam, cuius mentem Deus æternus pater D. N. I. C. ad nominis sui gloriam, Ecclesiæ ædificatorem, & totius Romani Imperij tranquillitatem per Spiritum Sanctum diu protegat & gubernet.